

dilectionis, vel quitquit ipse sibi vel: intime dilectionis affectum aut salutem cum intime dilectionis affectu. Si autem per accusativum nomen recipientis ponitur in infinitivum debet desinere salutatio, verbi gracia: Amicum karissimum T. Optant salutis portum cum alacritate obtinere vel ad culmen sciencie pervenire.

Item notandum, quod captatio benevolencie quattuor modis fit: a persona scribentis, a persona audientis, a persona adversarii et abi ipsa re.

A persona scribentis fit, quando commendat se ac si diceret: Nisi bonum sit et honestum.

A persona auditoris sic dicimus: Vos estis tales, qui punitis reos et exaltatis humiles.

A persona adversarii quando dicimus in odium vel contemptum. In odium, ut cum diceretur: Iste est parricida vel incestus.

In contemptum, ut cum dicitur: Iste est stultus vel stolidus.

Item exordium est secundum quosdam communis locutio in rhetorica vel commune verbum in grammatica vel in auditoribus, ut Oracius: Oderunt peccare boni virtutis amore.

Item narratio est rerum gestarum explanatio. Narratio est alia sim (f. 68^r) plex, alia composita. Simplex est illa, in qua agitur de uno solo negocio. Composita est illa, in qua agitur de pluribus.

Peticio est oratio, in qua petimus aliquid fieri vel non fieri. Petitionum autem alia adprecatoria, alia deprecatoria, ut sit privata, alia commutatoria et multe alie assumentes sibi ab eisdem verbis vocabula, que in eis ponuntur.

Conclusio est illa oratio, per quam cognoscimus, quid debeat ex factis vel non factis, et dicitur ideo conclusio, quia est terminalis tocus epistole.

Item. In principio huius operis esse diximus partes epistole, quas exsecuti sumus. Sed sciendum, quod in epistola fit quandoque diminutio parcium vel commutatio et de his consequenter est dicendum.

Primo de diminutione. Notandum quod indignacionis littere, privilegia, decreta, contractus, salutacionem non habent. Privilegia pro salutacione habent: In perpetuum, verbi gracia: G.⁸ episcopus talis loci venerabili fratri E.⁹ abbati ecclesie talis loci suisque successoribus canonice substitutis in perpetuum.

Diximus, quod epistole careant salutacionem. Nunc vero de diminutione ceterarum parcium dicemus sed ordine converso.

Primo de conclusione. Nota: Quandoque conclusio opponitur duabus de causis vel quia nimis longa est epistola et prolixitas fastidium generat et ad fastidium tollendum non apponitur conclusio, quia certa est commoditas, que ex facto vel non facto debeat sequi.

⁸ Wahrscheinlich Gebhard von Plain, 1221—1233 Bischof von Passau. Eubel, Hierarchia I, S. 411.

⁹ Egilolf, 1228—1242 Abt von Heiligenkreuz, Xenia Bernardina III S. 58.

Item. Peticio quandoque removetur ab epistolis, sed notandum, quod remota petitione, narratio non debet removeri, quia sine utroque nulla stabit epistola.

Item. Narratio quandoque potest removeri sicut in remissivis epistolis.

Item. Exordium potest removeri facile et tamen stare potest epistola, quandoque ex duabus partibus, quandoque ex tribus, quandoque ex quattuor, nec minus perfecta est epistola.

Restat nunc dicendum de parcium commutatione. Salutatio numquam recedit a primo loco, sed res subposita exemplis clarius elucescit, si ponamus interminis. Ponatur, quod comes H.¹⁰ sit obsessus a rege Anglie et scribat regi Francorum. Sic erit scribendum: Serenissimo, B.¹¹. Dei gracia regi Francorum, fidelissimus H., comes talis loci famulatum et obedientiam. Ecce salutatio, que locum non mutat. (fol 68^v). Exordium deinde subiungitur sic: Maiestatem regiam ita concedet suis famulis in arto positus victricem manum porrigere ne adversus eos prevaleant inimici. Narratio sic: Sic de potencia sua superbit rex Anglie, quod omnem a se vendicat impotentem. Peticio sic: Unde maiestatem regiam presentibus implo-ro, ut in huius anxietatis angustia constituto, mihi succurrere vestra clemencia non moretur. Conclusio sic: Nam si eius audacia non fuerit refrenata ad partes ceteras largam sibi fenestram aperiet et regnum vestrum licencius involavit. Has duas partes sic poteris commutare, primo petitionem, secundo exordium, tertio narrationem, ultimo conclusionem.

De privilegiis componendis.

Privilegium est imperialis vel apostolica factio racione firmata. Dicitur autem privilegium, quasi privata lex. Eius etenim auctoritate omnis, qui habet privilegium tamquam privata lege propria se defendit. Vel dicitur privilegium, quasi privacio legum. Nam quod statuitur et firmatur ab hominibus nulla lege poterit infirmari. Privilegium vocatur non proprie, nisi quod ab apostolico sive ab imperatore statuitur.

Quod vero ab archyepiscopis et episcopis ab uno vel duobus sive ab aliis statutum fuerit, non privilegium sed potius decretum in precepto merito appellatur. Ducis privilegium dicitur preceptum vel testimonium.

In primis lineis apostolici privilegii scribitur pro salutacione longis et alteris literis: Gregorius¹² episcopus servus servorum Dei et cetera. Deinde sequitur exordium ad rem pertinens et tota locutio procedit sub persona domini pape hoc modo: Pastoralis officii nos cogit racio iustas preces admittere, minus autem iustis auditum auris et animum denegare.

¹⁰ H. hier fingiert.

¹¹ B. hier fingiert.

¹² Papst Gregor IX., 1227—1241, oder Gregor X. 1271—1276.